

Johann Sleker

**Rector Academiae Rostochiensis, Johannes Slekerus Phys. P. P. Ad Iubilaei Evangelici Recolendam Memoriam Orationesq[ue] ... M. Johannis Simonii Professoris celeberrimi, Nec Non ... Dn. M. Jacobi Breigeri, Audiendas. Omnes omnium ordinum Academiae cives ad erastinam IX. & I. Officiose & peramanter invitat**


Rostochii: Pedanus, 1617

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742541177>


Druck Freier  Zugang











D. O. Mg. A.

RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,

JOHANNES SLEKERUS

Phyf. P. P.

AD JVBILÆI EVANGELICI  
RECOLENDAM MEMORIAM

Orationesq;

Clarissimi & Excellentissimi Viri,

M. JOHANNIS SIMONII

Professoris celeberrimi,

NEC NON

Humanissimi & Præstantissimi Viri,

Dn. M. IACOBI BREIGERI,

Audiendas.

Omnes omnium ordinum Academia civis  
ad crastinam IX. & I.


Officiose & peramanter invitat.



ROSTOCHII, Typis Joachimi Pedani, Anno 1617.

9 ult







Ere dignam & iustum est, nec unius diei studium illud, in quo pietatis suæ monumentum his diebus sibi statuit Ecclesia è Babylone egressa: Ipso nimirum Jehova populum suum è miserrima Antichristi servitute vindicante in gloriosam filiorum Dei libertatem; & regali illum donante sacerdotio; cuius usurpatione has ipsas laudum & gratiarum hostias nomini ipsius persolvimus. Bonum inquam factum studiumq; in re, cuius tanta amplitudo, ut omne humanum facile superet eloquium; tanta excellentia, ut non Carneadis hîc tantum acumen (quod in re difficili Neptunus apud Lucilium sibi optasse Lactantius ait) Carneadis inquam hominumq; omnium acumen non tantum hic sit nullum, sed & angelorum illa beata mysteriorum divinorum visio habeat quod scrutetur; & in quo plus lætentur quàm super centenis peccatorum millibus agentibus pœnitentiam; Magnum enim pietatis mysterium Deus manifestatus in carne. Cui proxime tamen, stylo apostolico conjunctum est alterum hîc, quod idem ille Deus sit prædicatus gentibus, & creditus in mundo. Quomodo autem credent ei de quo non audierint? quomodo audient absq; prædicante? Quomodo prædicare autem poterunt Evangelium pacis quos majorum nostrorum ætas non speciosis illis Evangelizantium pedibus, sed magnis Antichristi magni fraudibus incedentes vidit ad captivandum omnem intellectum in obsequium Papæ? Sedebat in templo Dei homo perditionis, dæmoniorum doctrina instructus, avariua superbiaq; tumens. Ex quibus

bus malorum omnium radicibus non plena manu sed  
horreo surgebant inexplibilis dominandi libido; Secu-  
laris & Ecclesiastici imperij, sub Religionis & sanctitatis  
opinione affectata præsumptio: quam successu rerum  
cum obtinuisset, jam humana conditione major, regum  
subjectione, orbis universi obsequio, mundi opibus, im-  
pudentia deniq; meretricia intractissimus, vicarius Chri-  
sti, caput Ecclesiæ, ejusdemq; Sponsus, ipse sibi sanctif-  
simus & beatissimus, & thesauri Ecclesiastici non dispen-  
sator tantum sed per indulgentiarum mercaturam beni-  
gnissimus audire volebat locupletator. Nec orbis hujus  
imperio, regnorumq; pro arbitrio suo dispensatione con-  
tentus, triplici assumpta corona, Cæli, inferni, terræq; do-  
minium non affectabat tantum, sed quasi in plenam eo-  
rum venisset possessionem, superbis edictis in angelos  
ipso usurpabat: quosvis sibi contradicentes vel ad pronu-  
stium non venientes obsequia fulmine suo trifulco ex  
arce Tarpæia prosteruens: sacratis regum & imperato-  
rum cervicibus non parcens, quo minus calcibus suis feri-  
ret, pedibus subjectos. Ut merito quidem verbis Jehovah  
apud Jerem. c. 2. hic nobis utendum cum inquit: Obitu-  
pescite cæli de hac re & horrescite, desolemini valde?  
A scaturigine aquarum viventium abductus erat populus  
Jehovæ: & sedebat ad flumina Babylonis, cytharis ad-  
falices suspensis in terra aliena, quæ nullo Jehovah re-  
sonabat cantico: Gementibus & fletibus illis quos  
peccatorum memoria & Judicij divini terror ad miseri-  
cordiæ veræq; justitiæ suam adigebat, ut perspecta Pæ-  
palis nequitie fraude, nonnunquam ruptis miserrimæ  
captivitatis vinculis respectarent ad thronum gratitiæ  
misericiordiæ in Sione propositum: Spiritu Sancto im-  
pulsu dicerent, cum Jeremia, An servus Israël, an verina  
est?


est? quamobrem est prædæ? ô si quis det è Sione salu-  
rem Israël, reducente Jehova reducem turbam populi  
sui; exultabit Jacob, lætabitur Israël. Psal. 14. Memora-  
bile est quod Sp. S. Psal. 126, inquit, cum educeret  
Jehovah multitudinem captivorum, fuisse eos velut  
qui somniant. Ea enim animi nostri conditio in rebus  
desiderio summo optatis, sed insperato evenientibus, ut  
magnitudine lætitiæ vel obruatur animus, vel incredibili  
illa ratione agendi vera esse non credat, sed per somnum  
oblata sibi putat, quæ videt & vere palpat. Idq; in libe-  
ratione illa miranda Petri Act. 12. præclaro exemplo  
nobis propositum: nescio annon in hac etiam educatione  
captivitatis RomanoBabylonicæ verissime contigerit,  
Luthero primum calamum suum stringente adversus  
non indulgentias ipsas, sed abusum earundem; in gra-  
tiam nimirum & honorem Ecclesiæ Romanæ: cujus do-  
gmata pleraq; lacerari videbat impudentissimis Terze-  
lij clamoribus, ex avaritia insatibili profectis. Quorsum  
enim tum ille timor & tremor? in quibus, scilicet fiducia  
omni projecta, salutem operari oporteat; si contributio-  
ne, ut vocabant, in cistam conjectâ; & indulgentiarum  
superventu tam certi reddantur homines de salute sua, ut  
nullum sit tam grande peccatum, etiam si per impossibile  
quis matrem Domini violasset, quin solvatur, plena culpæ  
& poenæ facta remissione; Annon poenæ Canonice hæ-  
ctenus destinatæ Indulgentiæ ad salutem & sanctitatem  
nihil facere tradebantur? Annon liberalitate hilarum  
contributio reddatur inutilis & simul omnes purgatorij poe-  
næ cassarent? Ita enim Lutherus ipse ad Albertum Mo-  
gantinum rescripsit facti sui rationem redditurus: nec  
aliter potuisset Straupitio totaq; Academia Wittebergen-  
tum attipulatoribus imò & autoribus, & intercessoribus


uti, ad Papam ipsum his verbis scribentibus. *Quare beatissime Pater humiliter & obnixè oramus devoti deditiq; filij sanctitatis tue, ut hunc virum eum credere dignetur cujus apud nos opinio usq; adhuc nullius perversi & à sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ sensu aberrantis dogmatis labe resperisa aut contaminata fuit, nisi quod ritu & facultate disputandi liberius forte quadam posuerit quàm ferre potuerint adversarij sui. Nam nec nos ipsi tales unquam videri volumus qui pertinaciter adversus Catholicum dogma quicquam sapere statuerint, parati per omnia tuis & sanctæ Ecclesiæ voluntatibus parere &c.* Hæc inquam de Lutheri factò & sensu Academia Wittebergenfis; quæ vera esse nemo dubitabit, cui progressus ipse negotij, adversantium acerbitates, acta Cajetani & Milizij non sunt ignota; ejusmodi hercule ut, quod Josephus dicebat, de excidio templi Hierosolymitani, illud videlicet per tumultuantem omniaq; vastantem militem invito Imperatore & renuente deflagrasse, id de Lutheri in destruendo papatu dicere possimus opera. Sed utrobique divini Judicij severitas humano consilio fortior occultis tractibus in consensum suum duxit rerum eventus, injecto videlicet contentionis igne, sufflaminatoribus Winpina, Sylvestro, Eccio &c. ut ei ferendo stipulæ Pontificiæ jam neutiquam essent. Inque totius religionis quasi retexendæ negotium perducerentur homines, nihil tale existimantes, plura enim in scriptis Lutheri legebantur, quam ipse scripserat: plura commovebat quam tangere volebat: ut sicut ipse loquitur, nolens volens cogèretur fieri doctior, scripturas nempe scrutando, & in hujus judicium vocando omne id, quod ex decretis & anathematismis papalibus sibi impactum, adversarijs turbulentissimis victoriam polliceri videbatur; usq; dum Camerina mora, & fundamentis ipsis non levi brachio tactis, inclinatio


natio sequeretur totius pontificatus; Deo liberante populum suum tenebris illis plus quam Ægyptiacis ipsamq; Lutherum in tanta, mundi penetius illi adversantis & extrema quæq; gladio & igne minitantis, potentia, incredibili ad omnem posteritatem exemplo defendente. Qui Spiritu Dei roboratus, animo suo & veritatis quam tuendam susceperat fiducia, throno & corona Papali altior, omnes ipsius machinationes quasi strepitum Acherontis habebat Averni, quem pedibus Christi salvatoris subjectum & enervatum ipse calcaret, & quam gloriosæ victoriæ vocem de morte & Inferno Salvator apud Oseam edit, eandem de Papa sibi usurparet feliciter; ad ipsam usq; mortis & pestilentiae exprobrationem; & publicam bullæ Pontificiæ, quantumvis Leoninæ con cremationem. Qua de re ut plura nunc verba faciam, instituti ratio non permittit; & ipse lubens hanc operam concedo Clarissimo & Excellentissimo viro, Dno: M. IOHANNI SIMONIO Eloquentiæ apud nos Professori celeberrimo, Collegæ & fautori nostro plurimum honorando. Qui pro sua in D. Lutherum Theodoton pietate annis superioribus toti Ecclesiæ, ad indignationem usq; Pontificiæ cohortis, publicis scriptis contestatâ, minime faciendam sibi puravit; ut in hac solennis jubilæi festivitate hominum de se expectationi haud satisfaceret. Orationem ergo conscripsit de Magnitudine beneficii Divini, quo & nos opera Lutheri ex tenebris pontificiis ereptos in lucem collocavit salutaris suæ notitiæ; & ipsam illud selectissimum suum organon Lutherum, adversus omnem illam pontificis & suorum iram, miraculosè defenderit, verissimo & evidentissimo Hussiani illius vaticini complemento, quod rogo impositus & tyrannidi pontificiæ ipse satisfactorus de Luthero hoc  
cygneo


cygneo cantu edidit. Ad quem audicandum ut cras hora  
IX. Cives Academiae Reverendi, Consultifs, Clarifsimi,  
Doctifs: Præstantifs: & humanifs: frequentes conveniant,  
non est quod pluribus orem, cum id unumquemq; ultro  
facturum esse, in ipsius Dn. SIMONII, imò & Lutheri  
gratiam, in conspectum videlicet vestrum omni illa he-  
roici Spiritus animiq; sui imagine, eloquentia tanti orato-  
ris introducendi. Quin & Præstantifsimus & Doctifs-  
mus vir, Dominus M. IACOBUS BREIGERUS, pro  
sua erga Deum pietate & D. Lutherum reverentia, stu-  
dium suum ad Iubilæi hujus recolendam memoriam alla-  
turus, Oratione eleganti Cursum vitæ Lutheri, ac rena-  
scentis Evangelicæ prædicationis progressum cras hora I.  
pomeridiana delineare conabitur: dignus & ipse audito-  
rijs frequentioris in auscultando benevolentia; quam ut  
ijdem Academiae nostræ cives pro felici hujus festivitatis  
clausula ne denegent, est quod ab omnibus & singulis  
quàm possam officiosissimè contendo. P. P. Ro-  
stoch. 4. Novemb. Anno 1617.

























natio sequeretur totius pontificatus; Deo li-  
pulum suum tenebris illis plus quam  
ipsumq; Lutherum in tanta, mundi penetra-  
santis & extrema quæq; gladio & igne minita-  
tia, incredibili ad omnem posteritatem exem-  
dente. Qui Spiritu Dei roboratus, animo su-  
tis quam tuendam susceperat fiducia, throne  
Papali altior, omnes ipsius machinationes qu-  
rum Acherontis habebat Averni, quem pedi-  
salvatoris subjectum & enervatum ipse calcare  
gloriosæ victoriæ vocem de morte & Inferno  
apud Oseam edit, eandem de Papa sibi usurpa-  
ad ipsam usq; mortis & pestilentiae exprobra-  
publicam bullæ Pontificiæ, quantumvis Leo  
cremationem. Qua de re ut plura nunc ve-  
instituti ratio non permittit; & ipse lubens ha-  
concedo Clarissimo & Excellentissimo viro  
IOHANNI SIMONIO Eloquentiæ  
Professori celeberrimo, Collegæ & fautori ni-  
mum honorando. Qui pro sua in D. Lutheri  
doton pietate annis superioribus toti Ecclesi-  
gnationem usq; Pontificiæ cohortis, publicis se-  
testatâ, minime faciendam sibi putavit; ut in  
nis lubilæi festivitate hominum de se expecta-  
satisfaceret. Orationem ergo conscripsit de  
ne beneficij Divini, quo & nos opera Lutheri  
pontificijs ereptos in lucem collocavit salutar-  
tiæ; & ipsum illud selectissimum suum organ-  
rum, adversus omnem illam pontificis & su-  
miraculosè defenderit, verissimo & evidenti-  
siani illius vaticinijs complemento, quod rogo  
& tyrannidi pontificiæ ipse satisfactorus de Lu-

